caritatem quam habet Deus in nobis. Deus caritas est, et qui manet in caritate in Deo manet, et Deus in eo. In hoc perfecta est caritas nobiscum ut fiduciam habeamus in die iudicii, quia sicut ille est et nos sumus in hoc mundo. Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem. Quoniam timor penam habet. Qui autem timet non est perfectus in caritate. Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. Si quis dixerit quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.

Omnis qui credit quoniam Ihesus est Christus, ex Deo natus est. Et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit et eum qui natus est ex eo. In hoc cognoscimus quoniam diligimus natos Dei, cum Deum diligamus, et mandata eius custodiamus. Hec est enim caritas Dei, ut mandata eius custodiamus. Et mandata eius gravia non sunt. Quoniam omne quod natum est ex Deo vincit mundum. Et hec est victoria que vincit mundum, fides nostra. Quis est autem qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Ihesus est filius Dei. Hic est qui venit per aquam et sanguinem Ihesus Christus. Non in aqua solum, sed in aqua et sanguine. Et Spiritus est qui testificatur quoniam Christus est veritas. Quoniam tres sunt qui testimonium dant in terra: Spiritus, aqua, sanguis; et tres unum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in celo: Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus; et hi tres unum sunt. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est. Quoniam hoc est testimonium Dei quod maius est, quia testificatus est de filio suo. Qui credit in filium Dei habet testimonium Dei in se. Qui non credit filio, mendacem facit eum, quoniam non credit in testimonio quod testificatus est Deus de filio suo. Et hoc est testimonium, quoniam vitam eternam dedit nobis Deus, et hec vita in filio eius est. Qui habet filium habet vitam. Qui non habet filium Dei non habet vitam. Hec scribo vobis filioli, ut sciatis quoniam vitam habetis eternam, qui creditis in nomine filii Dei. Et hec est fiducia quam habemus ad eum, quia quodcumque petierimus secundum voluntatem eius, audit nos. Quicquid petierimus, scimus quoniam habemus petitiones quas postulamus ab eo. Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis. Omnis iniquitas peccatum est, et est peccatum ad mortem. Scimus quia omnis qui natus est ex Deo non peccat, sed generatio Dei conservat eum, et malignus non tangit eum. Scimus quoniam ex Deo sumus, et mundus totus in maligno positus est. Et scimus quoniam filius Dei venit, et dedit nobis sensum ut cognoscamus Deum verum, et simus in vero filio eius. Ihesus Christus. Hic est verus Deus, et vita eterna. Filioli custodite vos a simulacris.

SENIOR

I

Senior electe domine et natis eius, quos ego diligo in veritate, et non ego solus, sed et omnes qui cognoverunt veritatem, propter veritatem que permanet in nobis, et nobiscum erit in eternum. Sit vobiscum gratia, misericordia, pax, a Deo Patre, et a Christo Ihesu filio Patris, in veritate et caritate. Gavisus sum valde, quoniam inveni de filiis tuis ambulantes in veritate, sicut mandatum accepimus a Patre. Et nunc rogo te domina, non tamquam mandatum novum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio, ut diligamus alterutrum. Et hec est caritas, ut ambulemus secundum mandata eius. Hoc est enim mandatum, ut quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis. Quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Ihesum Christum venisse in carne. Hic est seductor et antichristus. Videte vos metipsos ne perdatis que operati estis, sed ut mercedem plenam accipiatis. Omnis qui recedit et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet. Qui permanet in doctrina eius, hic et filium et Patrem habet. Si quis venit ad vos et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi ave, communicat operibus illius malignis. Plura habens vobis scribere, nolui per cartam et atramentum. Spero enim futurum me apud vos, et os ad os loqui, ut gaudium vestrum plenum sit. Salutant te filii sororis tue electe. Amen. Gratia Dei tecum.

SENIOR

III

I

Senior Gaio karissimo, quem ego diligo in veritate caritatis. Karissime, de omnibus orationem facio prospere te ingredi et valere, sicut prospere agit anima tua. Gavisus sum valde venientibus fratribus et testimonium perhibentibus veritati tue, sicut tu in veritate ambulas. Maiorem horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare. Karissime, fideliter facis quicquid operaris in fratres, et hoc in peregrinos, qui testimonium reddiderunt caritati tue in conspectu ecclesie, quos benefaciens deduces digne Deo. Pro nomine enim eius profecti sunt, nichil accipientes a gentibus. Nos ergo debemus suscipere huiusmodi, ut cooperatores simus veritatis. Scripsissem forsitan ecclesie, sed is qui amat primatum gerere in eis Diotrepes, non recipit nos. Propter hoc si venero, commoneam eius opera que facit, verbis malignis garriens in nos. Et quasi non ei ista sufficiant, neque ipse suscipit fratres, et eos qui suscipiunt prohibet, et de ecclesia eicit. Karissime, noli imitari malum, sed quod bonum est. Qui benefacit ex Deo est.

quibene facit ex deo est

faciat non videt deum. Demetrio testimonium reddi-
tur ab omnibus, et ab ipsa veritate. Sed et nos testimonium
perhibemus, et nosti quoniam testimonium nostrum verum est. Multa
habui scribere tibi, sed nolui per atramentum et calamum.
Spero autem protinus te videre, et os ad os loquemur. Pax
tibi. Salutant te amici. Saluta tu amicos no-
minatim.

IVDAS

Iudas Iesu Christi servus, frater autem Iacobi,
his qui in deo patre dilectis, et in
Christo Iesu conservatis, et vocatis. Misericordia
vobis et pax et caritas adimpleatur. Carissimi,
omnem sollicitudinem fa-
ciens scribendi vobis de communi vestra sa-
lute, necesse habui scribere vobis, de-
precans supercertari semel traditae
sanctis fidei. Subintroierunt enim qui-
dam homines qui olim praescripti sunt
in hoc iudicium impii, dei nostri gra-
tiam transferentes in luxuriam, et solum do-
minatorem et dominum nostrum Iesum Christum negan-
tes. Commonere autem vos volo, scien-
tes semel omnia, quoniam Iesus populum de
terra Aegypti salvans, secundo eos qui
non crediderunt perdidit. Angelos vero
qui non servaverunt suum principa-
tum, sed dereliquerunt suum domicili-
um, in iudicium magni di-
ei vinculis aeternis sub caligine reservavit.
Sicut Sodoma et Gomorra, et fini-
timae civitates, simili modo exforni-
catae, et abeuntes post carnem alteram,
factae sunt exemplum, ignis aeterni poenam
sustinentes. Similiter et hi carnem quidem
maculant, dominationem autem spernunt, maie-
statem autem blasphemant. Cum Mich-
ahel archangelus cum diabolo dis-
putans altercaretur de Moysi cor-
pore, non est ausus iudicium inferre
blasphemiae, sed dixit: Imperet tibi dominus.
Hi autem quaecumque quidem ig-
norant, blasphemant. Quaecumque autem
naturaliter tamquam muta animalia no-
runt, in his corrumpuntur.
Vae illis, quia in via Cain abierunt, et er-
rore Balaam mercede effusi sunt, et in con-
tradictione Core perierunt. Hi sunt in epulis
suis maculae, convivantes sine timore, sem-
etipsos pascentes. Nubes sine aqua quae a ven-
tis circumferuntur, arbores autumnales in-
fructuosae, bis mortuae, eradicatae, fluctus
feri maris, despumantes suas confusiones, si-
dera errantia, quibus procella tenebrarum in
aeternum servata est. Prophetavit autem de his septimus
ab Adam Enoch, dicens: Ecce venit dominus
in sanctis milibus suis facere iudicium contra omnes, et argu-
ere omnes impios de omnibus operibus impieta-
tis eorum, quibus impie egerunt, et de omnibus
duris quae locuti sunt contra eum peccatores impii.
Hi sunt murmuratores querulosi, secundum deside-
ria sua ambulantes, et os illorum loquitur
superbiam, mirantes personas quaestus causa.
Vos autem carissimi memores estote verborum quae
praedicta sunt ab apostolis domini nostri Iesu Christi, qui dicebant
vobis quoniam in novissimo tempore venient illu-
sores, secundum sua desideria ambulantes in impie-
tatibus. Hi sunt qui segregant semetip-
sos, animales, spiritum non habentes. Vos autem carissimi
superaedificantes vosmetipsos sanctissimae ve-
strae fidei, in spiritu sancto orantes, vos ipsos in
dilectione dei servate, expectantes misericordiam do-
mini nostri Iesu Christi in vitam aeternam. Et hos
quidem arguite iudicatos, illos vero salva-
te de igne rapientes. Aliis autem miseremini
in timore, odientes et eam quae carnalis est
maculatam tunicam. Ei autem qui potens est
vos conservare sine peccato, et constituere ante
conspectum gloriae suae immaculatos in adventu (in exultatione)
domini nostri Iesu Christi, soli deo salvatori nostro, per
Iesum Christum dominum nostrum, gloria, magnificen-
tia, imperium, et potestas ante omnia saecula, et
nunc et in omnia saecula. Amen. Explicit.

APOCALISIS

Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit
illi deus palam facere servis
suis quae oportet fieri cito.
Et significavit mittens
per angelum suum servo su-
o Iohanni, qui testimonium perhibuit verbo dei, et te-
stimonium Iesu Christi, in his quaecumque vidit. Beatus qui
legit et qui audit verba prophetiae huius, et servat ea
quae in ea scripta sunt. Tempus enim prope est. Iohannes sep-
tem ecclesiis quae sunt in Asia. Gratia vobis et pax
ab eo qui est et qui erat et qui venturus est,
et a septem spiritibus qui in conspectu throni eius
sunt, et ab Iesu Christo, qui est testis fidelis, primoge-
nitus mortuorum, et princeps regum terrae. Qui di-
lexit nos et lavit nos a peccatis nostris in san-
guine suo. Et fecit nos regnum et sacerdotes
deo et patri suo, ipsi gloria et imperium in saecula saeculo-
rum. Amen. Ecce venit cum nubibus, et videbit
eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt. Et p-
langent se super eum omnes tribus terrae. Etiam,
amen. Ego sum alpha et ω, principium et fi-
nis, dicit dominus deus, qui est et qui erat et qui ven-
turus est omnipotens. Ego Iohannes frater vester et parti-
ceps in tribulatione et regno et patientia in Chri-
sto Iesu, fui in insula quae appellatur Pathmos propter
verbum dei et testimonium Iesu. Fui in spiritu in